

que cupiditas, plus apud fortissimum, & laudatissimum principem valuit, quam aliorum huic adversantium odiosæ preces, qui maluissent ædes Paulinas ad alios usus verti, atq; ægrè ferebant, Academiam hac accessione augeri. ideoq; similtates cum Bornero exercebant. Quod cum non esset obscurum, & molitiones quærerentur, quibus interverti alioq; transferri Principis donum posset: Ut contentionis hujus aliquis finis reperiretur, Pater meus Nicolaus Peiferus Borneum adit, quid sibi factò opus esse videatur, & si permittatur, locum aliquem in ædibus Paulinis capturum se, ait, ubi pro filiis habitationem commodã instruat, eamq; impensam certis in annos aliquot mercede divisa pensionibus, sine ullo Academiae incommodo compensaturum esse. Placet Bornero consilium, partemquè superiorem illius domus quæ templo imminens ad Grimanium vicum spectat ædificio occupandum Peifero designat. Is vacuum illam partem ad habitationis commoditatem concinnandam fabris locat, & ædificatum filios incolere jubet. Ab his omnium primis possessione collegii Paulini usurpata, postea reliquæ etiam ædes conclavibus ad scholastica contubernia instrui & habitationes

nes